



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 53. Vtrum Deus aliqua necessitate morali necessitetur ad faciendum optimum, & magis conueniens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

nere mali maius bono cuiuslibet actus honesti puræ creaturæ, respectu vniuersi non sit maximum malum, neque sit in genere mali maius bono iustitiæ vindictiue, & alijs bonis, quæ Deus elicit ex peccatis, ac proinde malum peccati mortalis in ordine ad vniuersum adæquatè compensetur bonis, quæ Deus elicit ex peccatis. Consonat huic doctrinæ Hugo Victorinus verbis supra citatis num. 18.

25. Ad 4. nego antecedens, & dico, quod si nullum fuisset peccatum, & fuisset Incarnatio, Mundus fuisset minus perfectus, quam fuerit de facto, siquidem illi defuissent maxima bona, quæ non possunt dari, nisi ex suppositione peccatorum, & diuina attributa præsertim misericordiæ, & iustitiæ non explicarentur in diuinis operibus ita perfectè, sicut explicantur de facto, vt dictum est num. 19.

26. Ad 5. distinguo maiorem; perfectio Mundi, quam Deus primo, & per se intendit voluntate inefficaci, est maior perfectio, quam intendit secundario voluntate efficaci, vt compensatiua illius alterius perfectionis, nego; voluntate efficaci, transeat: distinguo eodem modo minorem; & nego consequentiam. Deus solum inefficaciter vult neminem peccare, & omnes saluari, efficaciter autem vult bona compensatiua peccatorum, & ipsa peccata permittit, vt habeat bona ipsorum compensatiua; sed cum sit optimus, non permitteret peccata, vt haberet bona compensatiua, nisi bona illa respectu vniuersi adæquatè compenarent malum peccati; ergo. Confirmatur: nam Deus primo, & per se vult neminem peccare; bonum autem redemptionis per Christum vult ex suppositione peccati; ergo argumento allato probaretur bonum redemptionis esse minus bono innocentie à peccatis, quod ab aduersarijs non admittitur, adeoque etiam ipsi debent soluere argumentum allatum.

27. Ad 6. Hierotheus, & ex eo Dionysius negant peccatum ex se conferre ad bonum, vniuersi, quod etiam nos negamus; at non negant Deum esse ita bonum, vt malum peccati compenfer adæquatè bonis, quibus vniuersum reddatur perfectius, quam si peccatum non fuisset commissum, quod solum nos asserimus.

28. Ad 7. Respondeo, quod S. Thomas licet iunior in sententiariorum docuerit Mundum fore perfectiorem, si nulla darentur peccata, tamen senior, & doctior in summa Theologica, & in summa contra Gentes sententiam mutauit, ac docuit oppositum.

29. Ad 8. nego antecedens. Fuit conuenientius, & melius, vt Deus permitteret innumera peccata, vt sic magis appareret diuina patientia, & longanimitas; fuit melius, vt ex hominibus plures damnarentur, quam saluarentur, vt sic melius appareret, quanta sit diuina misericordia in prædestinatos, quos eligit, pluribus alijs reiectis, & vt ipsa reiectorum multitudinem ostenderetur, quod nullius momenti sit apud Deum iustum quantalibet multitudo iu-

stissimè damnatorum, vt loquitur Augustinus lib. 21. de ciuit. cap. 12. & epist. 157. ad Optatum. Sed maior numerus reproborum, quam prædestinatorum spectat ad occulta iudicia Dei.

QVÆSTIO LIII.

Virum Deus aliqua necessitate morali necessitetur ad faciendum optimum, & magis conueniens?

1. **V**idetur necessitari, primo quia tunc liberum arbitrium necessitatur moraliter ad aliquid, cum ita ad illud faciendum inclinatur, vt ex tali inclinatione possit cum euidencia morali inferri, quod illud faciet, licet absolute posset non facere: e. g. quia liberum arbitrium humanum non præuentum specialibus auxilijs gratiæ ita inclinatur ad peccandum, venialiter, vt ex hac inclinatione possimus inferre cum euidencia morali, quod quilibet homo non præuentus specialissimis auxilijs gratiæ aliquando moraliter peccat, dicimus liberum arbitrium humanum non præuentum specialissimis auxilijs gratiæ necessitari moraliter ad peccandum venialiter; sed Deus ita inclinatur ad faciendum id, quod est melius, vt ex hac inclinatione possit inferri cum euidencia morali Deum semper facere id, quod est melius; ergo &c.

2. Secundo Patres sæpè ex eo, quod quædam sint meliora, & magis conuenientia, inferunt necesse esse, vt à Deo fiant; ergo cognoscunt in Deo necessitatem ad illa faciendam; non aliam quam moralem; ergo &c. Probatur antecedens: nam Augustinus in psal. 76. explicans illum versiculum, *numquid in æternum projiciet Deus, aut non apponet, vt complacitor sit adhuc?* dicit: *Necesse est, vt reuocet ad se seruos suos; necesse est, vt recipiat fugitiuos redeuntes ad dominum; necesse est, vt exaudiat voces compeditorum;* & serm. 7. de Natali Domini, qui est 11. de Tempore, dicit: *Sicut non poterat caro nisi de carne nasci, ita non poterat Dei caro de semineo uterore nisi sine generante prodire;* ergo &c.

3. Respondeo, ac dico primo, quod si propriè loquamur, Deus nulla necessitate morali antecedenti suam liberam electionem necessitatur ad faciendum optimum formaliter.

4. Probatur primo, nam vt docet Augustinus lib. 13. de Trinitate cap. 10. *Diuina potestati omnia æqualiter subiacent;* sed si Deus aliqua moraliter non posset facere, illa non æqualiter subiacerent diuinæ potestati, ac ea, quæ Deus potest moraliter facere; ergo &c. Idem Augustinus lib. 83. quæst. 22. & lib. 1. contra aduersarium legis, & Prophetarum cap. 7. dicit: *vbi nulla indigentia, nulla necessitas: vbi nullus defectus, nulla indigentia; nullus autem defectus in Deo: nulla ergo necessitas;* ergo negat dari in Deo vllam necessitatem propriè dictam in ordine ad operandum ad extra.

5. Pro-

5. Probatum secundo: nam necessitas moralis propriè dicta consistit in hoc, ut potentia libera ita inclinetur ad unam partem, ut non possit sine difficultate, conatu, & excitatione omnium, vel penè omnium suarum virium, se determinare ad oppositum, ideoque Augustinus lib. 2. de Peccatorum meritis, & remissione, cap. 3. moralem necessitatem aliquando peccandi venialiter describit dicens: *Ad nonnulla superanda, vel quæ malè cupiuntur, vel quæ malè metuuntur, magnis aliquando, & totis viribus opus est voluntatis, quas nos non perfectè in omnibus adhibuituros esse prouidit, qui per Psalmistam psal. 142. veridicè dicit voluit: non infirmitur in conspectu tuo omnis caro: sed Deus ita perfectissimè inclinatur ad faciendum optimum, ac semper facit optimum, ut sine vlla difficultate, & conatu possit non facere optimum, sed minus bonum; ergo &c.*

6. Dico secundo: sicut Deus metaphoricè dicitur irasci, poenitere &c. sic metaphoricè dicitur necessitari moraliter ad faciendum id, quod est melius, & conuenientius. Probatum: nam ideo Deus irascitur metaphoricè, quia licet non patiatur perturbationem iræ, prout requireretur ad hoc, ut propriè irasceretur, tamen facit ea, quæ faciunt homines irati, & ex eadem ratione Deus dicitur metaphoricè poenitere; sed Deus licet posset sine vlla difficultate facere minus bona, & minus conuenientia, tamen sicut nos semper facimus ea, ad quæ moraliter necessitatur, ita ut sine maxima difficultate ab ijs abstinere non possimus, sic Deus semper facit optimum, licet facillimè, & sine vlla difficultate posset illud omittere; ergo. Non igitur negamus Deum habere talem inclinationem ad faciendum id, quod est formaliter melius, ut possimus euentia morali inferre, Deum semper facere id, quod est formaliter melius, sed solum asserimus hanc inclinationem non includere vllam moralem necessitatem; siquidem moralis necessitas importat difficultatem faciendi oppositum, quæ difficultas repugnat Deo.

7. Dices: si Deus ita esset inclinatus ad faciendum id, quod est optimum, ut semper faceret optimum, ac magis conueniens, orationes essent inutiles ad obtinendum ea, quæ petimus; ergo &c. Probatum antecedens: vel enim id, quod petimus, est magis conueniens, ac Deus illud faciet etiam nobis non petentibus; vel est minus conueniens, minusque bonum, & Deus illud non faciet, etiam si petamus.

8. Respondeo, negando sequelam. Ratio est, quia plurima sunt, quæ magis conueniens est, ut fiant, si nos petamus instanter, & perseueranter; si non petamus, vel si petamus minus instanter, & perseueranter, magis conueniens est, ut non fiant; ergo in ordine ad illa obtinenda orationes sunt vtilissimæ. Addo, quod quia ignoramus, utrum positis etiam orationibus, magis sit conueniens, ut obtineamus potius, quam non obtineamus quæ petimus, orationes nostræ semper debent inclu-

dere tacitam conditionem, quæ petamus, ut fiat id, quod petimus, si melius est, & diuinæ voluntati conformius, ideoque Christus in oratione Dominica docuit nos, ut orantes petamus, ut fiat voluntas Dei, & Lucæ 22. ipse in horto orans addidit: *Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat.*

9. Dices secundo: Deus ita est indifferens ad omnia, quæ facit ad extra, ut antecederet ad suam liberam electionem non magis inclinaretur ad unam partem contradictionis, quam ad alteram, puta non magis inclinatur ad creandum Mundum, quam non creandum; ad incarnandum Verbum suum, quam ad non incarnandum; ergo neque metaphoricè necessitatur ad faciendum optimum necessitate consistente in hac maiori inclinatione ad faciendum id, quod est melius, & magis conueniens.

10. Respondeo, negando antecedens. Ad perfectionem enim optimæ voluntatis spectat, ut antecederet ad suam liberam electionem ad bona inæqualia inclinaretur inæqualiter, ac magis inclinaretur ad bonum maius, quam ad minus, ita ut inclinatio sit proportionata ipsi bonis.

11. Sed oppones: inclinatio diuinæ voluntatis est infinita, & indiuisibilis; sed inclinatio infinita, & indiuisibilis non potest esse maior ad vnum bonum, quam ad aliud; ergo &c.

12. Respondeo, distinguo minorem: inclinatio infinita, & indiuisibilis non potest esse maior entitatiuè, & materialiter ad vnum bonum, quam ad aliud, concedo: non potest esse maior terminatiuè, & virtualiter ad vnum bonum, quam ad aliud, nego; & nego consequentiam. Inclinatio diuina cum sit infinita, & indiuisibilis, entitatiuè, & materialiter non potest esse maior ad vnum, quam ad aliud, sed terminatiuè, & virtualiter est maior ad vnum bonum, quam ad aliud: est maior terminatiuè, quia est ad vnum bonum, ut maius alio bono: est maior virtualiter, & æquualenter, quia æquualet infinitis inclinationibus inæqualibus ad bona inæqualia. Explicatur. Quia Deus per eandem æternitatem indiuisibilem, & infinitam coexistit temporibus inæqualibus, puta anno, mensi, diei, & horæ, non per maiorem entitatiuè durationem coexistit tempori maiori, quam minori, puta anno, quam mensi: at potest dici, quod duratio, per quam Deus coexistit tempori maiori, virtualiter est maior, quam duratio, per quam coexistit tempori minori, puta duratio, per quam coexistit anno, virtualiter est maior duratione, per quam coexistit mensi, quia æquualet durationi maiori. Proportionaliter in casu nostro Deus æquualenter magis inclinatur ad bonum maius, quam ad minus, quia eadem entitatiuè inclinatio in quantum est ad bonum maius, æquualet inclinationi maiori.

13. Dices rursus: ut ex antecedenti inferatur aliquod consequens, requiritur, ut falsitas consequentis non possit coniungi cum veritate antecedentis: sed cum hoc antecedenti;

Deus

Deus inclinatur ad faciendum optimum; potest coniungi falsitas huius consequentis: ergo Deus facit optimum; ergo ex illo antecedenti non inferatur legitime hoc consequens.

14. Respondeo, distinguo antecedens; ut ex aliquo antecedenti inferatur aliquod consequens per consequentiam logicam, requiritur, ut falsitas consequentis per nullam potentiam possit coniungi cum veritate antecedentis, concedo; ut inferatur per consequentiam rhetoricam, vel moralem, nego; concedo minorem; & nego consequentiam. Duplex est syllogismus, logicus, & rhetoricus, seu moralis. Syllogismus logicus nititur dicto de omni, ac dicto de nullo, & est in quo ex præmissis sequitur necessario conclusio, ita ut per nullam potentiam falsitas conclusionis possit coniungi cum veritate præmissarum. Syllogismus rhetoricus, seu moralis nititur dicto de plerisque, & negato de plerisque, & non implicat contradictionem, ut falsitas conclusionis coniungatur cum veritate præmissarum, licet nunquam vel penè nunquam coniungatur: e. g. hic plerumque matres amant filios suos; hæc est mater; ergo amat filium, est syllogismus rhetoricus, & tamen posita veritate præmissarum, potest esse falsa conclusio, licet raro sit falsa. In casu nostro hoc argumentum; *Deus ut potest optimum habet perfectam inclinationem ad faciendum optimum; ergo semper facit optimum*, est Rhetoricum, seu morale, ideoque consequentia est bona, seu legitima, licet falsitas consequentis per potentiam absolutam liberi arbitrii diuini sine vlla difficultate possit coniungi cum veritate antecedentis.

15. Ad 1. distinguo maiorem; tunc liberum arbitrium necessitatur moraliter necessitate propriè dicta, cum ita inclinatur ad aliquid faciendum, ut ex tali inclinatione possit cum euidencia morali inferri, quod illud faciet, licet posset illud non facere pro libito, & sine vlla difficultate, nego; licet posset illud facere cum maxima difficultate, vel non pro libito, concedo; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Ex dictis num. 5. ad necessitatem moralem propriè dictam requiritur, ut potentia libera ita inclinatur ad vnam partem contradictionis, ut non possit nisi cum maxima difficultate se determinare ad alteram partem; sed Deus ita inclinatur ad faciendum optimum, ut posset sine vlla difficultate facere quod est minus bonum, & omisso meliori; ergo.

16. Ad 2. Patres dum aliquando dicunt, vel insinuant Deum necessitari ad faciendum optimum, loquuntur metaphorice, sicut metaphorice loquuntur non solum Patres, sed etiam Scripturæ, cum dicunt Deum irasci, pænitere, &c. ut explicatum est num. 6.

QVAESTIO LIV.

Virum Deus sit liber, & indifferens non solum ad creaturas producendas, vel non producendas, sed etiam ad efficaciter volendum, vel nolendum illas producere?

1. **V**idetur Deus non esse liber, & indifferens ad efficaciter volendum, vel nolendum producere creaturas, sed solum esse liber, & indifferens ad illas producendas, vel non producendas. Deus enim non habet potentiam volendi, vel nolendi, sed cum sit actus purus, est ipsa actualis volitio, & intellectio; sed si esset liber ad Mundum efficaciter volendum, vel nolendum, haberet potentiam volendi, vel nolendi Mundum, & sic non esset actus purus; ergo &c.

2. Secundò actus volendi, & nolendi sunt vitales, ac proinde sunt intrinseca perfectio volentis, & nolentis, sed Deus non est liber & indifferens ad habendum, vel non habendum vllum actum vitalem, & vllam perfectionem intrinsecam; alioquin esset intrinsecè mutabilis, cum posset carere aliqua perfectione vitali; ergo &c.

3. Respondeo Aureolum in 1. distint. 40. prop. 1. & 2. & dist. 46. art. 2. docuisse, vel insinuasse, Deum propriè non esse liberum ad volendum, vel nolendum, sed solum ad agendum, vel non agendum ad extra, puta ad Mundum producendum, vel non producendum. Hinc infert propriè in Deo non dari volitionem efficacem faciendi ea, quæ fecit, puta creandi Mundum, saluandi Sanctum Petrum &c. sed solum in Deo dari simplicem complacentiam obiectorum extrinsecorum, puta creandi Mundum, quæ dicitur volitio efficax creandi Mundum, cum Deus creat Mundum, volitio efficax creandi Mundum, cum Deus Mundum non creat. Sicut igitur si ignis applicatus stupæ posset illam comburere, vel non comburere, esset quidem liber, & indifferens ad stupam comburendam, vel non comburendam, & tamen non esset indifferens ad volendum comburere, vel non comburere, cum non haberet potentiam volitiuam; sic Deus est quidem liber, & indifferens ad agendum, vel non agendum ad extra, sed non est liber, & indifferens ad efficaciter volendum, vel nolendum agere, vel non agere, cum non sit potentia ad volendum, sed sit ipsa actualis volitio simplicis complacentiæ de omnibus obiectis extrinsecis. Hanc sententiam videtur etiam insinuasse Altfiodorensis in 1. cap. 13. & Ockhamus in 1. dist. 44. quæst. vnica, & dist. 46. quæst. vnica, eamque videtur supponere Gabriel eadem dist. 46. quæst. vnica apud Ruiz de Voluntate Dei, quæst. 11. sect. 1. Sed non desunt qui citatos auctores